



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XVII. Sicut.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

De Regularibus & Transeuntibus ad Religionem. 405

quod nec in eo casu, in quo professio edita fuit ante expletum annum probationis, necesse sit totum annum repetere, sed supplere tantum, quod omissum est, & postea professionem ratificare, probari potest, quod neque jure antiquo Novitiatûs annus repeti debuerit, propter professionis vitium, cum sufficeret, eam sublato defectu ratificare, juxta *cap. significatum 11. c. cum virum 12. hoc. tit.* à jure autem antiquo recedendum non est, nisi necessitas cogat. *Lege precipimus 32. in fine cod. de appellat.*

CAPITULUM XVII.

Sicut.

PARAPHRASIS.

Clericus quidam desperans de sanitate & vita, Canonicorum Regularium habitum petit, & impetravit, sed nec ad ipsos transit, nec desit bonis suis uti, videntibus, & scientibus Canonicis: rescribit Pontifex, cogi debere ad relumendum habitum, si illum petiit, & sua se professione ligavit; nec obesse, quod tanto tempore extra Canoniam manserit; per hoc enim eum non excusari, sed potius ejus transgressionem augeri.

SUMMARIUM.

1. Qui habitum professorum petit, & assumit, de jure antiquo expressè censetur profiteri.
2. Contra Religionem prescribere non potest professus, quamvis in saeculo multo tempore vivat.
3. Diuturnitas temporis in malefactis non excusat.

Notandum primum. Si habitum aliquis professorum petat, & assumat, expressè profitendi intentione, verè professus efficitur, cum ad substantiam professionis certa verborum forma non requiratur, neque opus sit, ut

in Ecclesia, aut monasterio fiat, cum etiam foris, & in lecto fieri possit. Ita hic, & dixi in *cap. porrectum 12. hoc. tit.* Sed jure novo opus est, annum probationis continuum præcessisse.

Notandum secundum. Professus Religionem, etsi longo tempore in saeculo maneat, & bona tanquam propria retineat, nunquam tamen contra Religionem prescribere, aut vinculo, quod sibi sponte imposuit, se liberare potest. *c. quod Deo 4. c. 32. q. 3.* & tradit hic Gloss. quod Religiosus contra bonum obedientiae prescribere non possit *argum. l. 1. Cod. de servis fugit.*

Notandum tertium. Diuturnitas temporis in male factis, non excusat, sed auget culpam propter perseverantiam. *Authentica, ut nulli judicium S. 1. v. neque enim angarijs. Male enim adinventâ, neque ex longo tempore confirmantur.* Et in *Lege Inficiando §. infans. ff. de furtis*, ubi Celsus ait, esse quoddam ridiculum, aliquam meliorem furis conditionem esse propter continuationem furti existimare.

Corollarium. Si professus iste in saeculo mortuus fuisset, monasterium in bonis ejus successisset: neque enim negligentia Prælati ad monasterium eum non compellentis obesse monasterio debet, uti *Abbas hic* monet. Vide *Gloss. hic v. & significat*, & quæ dicentur in *cap. unico.*

CAPITULUM XVIII.

Licet.

PARAPHRASIS.

Rescribit Pontifex licere Religiosis ad arctiorem Ordinem vitæ melioris desiderio transire, licet Prælati contradicat, & Ordini, in quo degunt, indultum sit, ne ejus Professi transeant ad alium etiam arctiorem Ordinem; ejusmodi enim indulto solum caveri, ne Professi ex temeritate vel levitate ad alium Ordinem transvolent. Si verò dubium sit, an quis ex temeritate transire velit, an

Ecc 3

vii 2